





12237.

See

N^o 48

14.

Q. D. B. V.

JURIS
CONTROVERSI
THEORETICO-PRACTICI
DECAS IX.

1718, 6.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

DN. LÜDERI MENCKENII, JC.
CONSILIAR. REG. POLON. ET
ELECT. SAXON. DECRETALIUM PROF.
PUBL. ET FACULTATIS JURIDICÆ LI-
PSIENSIS ORDINARIJ, &c.

PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS SUI
SUBMISSO HONORIS CULTU ÆTATEM
DEVENERANDI

IN

AUDITORIO ICTORUM
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

M. ANTONIUS AUGUSTUS HEYLAND,
LIPS.

AD D. XXXI. MART. AN. MDCCXVIII.

LIPSIÆ,
LITTERIS IMMANUELIS TITIL

R. B. J. Hoff.



23
2

CONTRORSI

THEORATICO-PRACITICA

DECAS IX

CONTRORSI

SUB PRÆSIDIO

DR. IUDERI MENCKENII JC

CONSILII REG. POLON. ET

ELECT. SAXON. DECRETAL. ET PROE.

PUBLIC. ET C. LIBR. REG. POLON. ET

PROE. REG. POLON. ET

PATRONI M. QUE PRÆCEPTORIS SUI

SUBMISSO HONORIS CAUSA ETIAM

DEMONSTRANDI

IN

AUDITORIO ICTORUM

PUBLICO ERUD. FOR. M. EXAMINI

M. ANTONII AUGUSTI HEYLAND.

LIPSIÆ

MD. C. XLII. MDC. C. XLII.

LIPSIÆ

LITTERIS IMMANKUELLIS TITII





CONTROVERSIA I.

Præbenda Filiifam. Canonici accen-
fenda est quasi castrensi peculio.



Quia Canonici dignitate intuitu Eccle-
siæ, cui consulunt, sunt conspicui,
& præbendas suas, occasione artium
liberalium, capiunt, redditus etiam
inde descendentes filiifam. jure
proprio acquiri accenserique emo-
lumentis quasi castrensis peculii fas
est. *a. l. 34. C. d. Episc. & cler. proin-*
de de quæsitis ex præbenda libere inter vivos & mortis cau-
sa disponunt, & nihil ex iis in hæreditatem paternam conse-
runt. ad l. 34. l. 50. C. eod. l. 1. §. 15. ff. d. Collat. l. f. C. d. inoff. test.
l. 7. C. d. offic. assess. l. 4. C. d. advoc. divers. judicior. agendi quo-
que & excipiendi potestate, absque parentis consensu, pol-
lent. c. f. d. jud. in 6. & contracta debita ex iis proventibus
solvunt ac solvere tenentur. a. c. 2. X. d. fidejuss. j. l. 78. ff. d.
solut. (a) ita pron. F. J. L. M. Jan. 717.

(a) Conf. *MATTH. de AFFLICT. dec. 241. n. 3. HOSTIENS. in Summat. de Pecul. cleric. BOER. dec. 199. n. 4. STRYCK. ad BRUNN. Jus Eccl. l. 2. c. 10. ad §. 7. p. 486. conf. STRUV. S. J. C. Ex. 37. §. 31. lit. 7. ibique MULLER. in not. Diss. BRUNNER. de Collat. bon. c. 4. n. 307. seq.*

OBST. I. *L. 30. §. 2. C. d. inoff. testam. j. l. 20. C. d. collat.* siquidem Canonicorum beneficia cum militiis Romanorum recte comparari videntur, militia vero, quæ venditur, vel ex qua, mortuo militante, certæ pecuniæ ad hæredes transeunt, cum ex testatoris pecunia comparata est; in ipsam legitimam imputatur. *d. l. 30. §. 2.* lucrumque, quod tempore mortis defuncti ad eum, cui hoc emolumentum est quæsitum, pervenire potest, collationi subjicitur. *l. 20. C. d. collat. Resp.* Conventius Silentiariorum militiæ, quam vulgari, exæquatur præbenda; ista vero excubiis Principum *l. 3. in f. C. d. Silentiar.* ingratoque murmuri compescendo, silentium imperando, serviebat (b) & armatæ, sicut Canonicatus togatæ, est militiæ species; unde ex eadem quæsitæ castrensis peculio accensebantur, nec poterant salaria eorum vel parentes superstites sibi vindicare, vel auferre, vel etiam post eorum obitum fratres, vel alii eorum hæredes, quasi ad defunctorum dominium pertinentia, in divisionem deducere, ne ipsorum labores aliis fructum vel lucrum afferrent. *l. f. C. d. Silent.* ad hæredes vero ex privilegio sola transibant solatia. *l. u. C. d. Prox. sacr. serin. N. 53. c. 5.* Contra vulgaris militia in patrimonio & commercio existimabatur, adeoque vendi, oppignorari, legarique poterat. *l. 52. §. 2. ff. d. act. emt. l. f. C. d. pign. N. 53. c. 3. l. 22. l. 49. §. 1. ff. d. legat. 2.* Atque hoc peculii quasi castrensis beneficium tanto fortius obtinet in Protestantium Canonicatibus, quanto certius est, præbendas cum persona expirare & ad hæredes non transire. *a. c. 15. X. d. Decim. c. 1. d. reb. eccl. non. al. in 6. l. 9. §. 1. ff. locat.* ipsamque acquisitionem intuitu liberalium artium fieri, ex qua causa triennium in Academiis absolutum exigi solet

folet ab iis, qui ad Canonici munus adspirant, illique inprimis huic dignitati admoventur, qui in Causis Ecclesiasticis & Politicis Ecclesiæ & Reip. salutarem operam præstare queunt. *conf. Eghurffstl. Brand. Policcy-Ordnung d. A. 1688. c. 6. p. m. 15. seq. Ord. Prov. El. August. d. A. 1555. t. Canonicat. C. S. p. 34. R. J. August. d. A. 1555. §. 19.*

(b) CAROL. du FRESNE *Gloss. Verb. Silentarius.*

OBST. 2. *C. 2. X. d. Institut.* quod monet Laicos non esse in numerum Canonorum computandos; unde pauca præbendæ sunt deprehensæ in usum Laicorum concessæ. (c) *Resp.* partim ea respiciunt ad primam originem præbendarum, ubi id agebatur ut conservationi egentis cleri cederent. *conf. c. 37. X. d. præbend.* partim ad abusum, quo præbendas familiarum beneficia constituentes animæ hoc opere consulere cupiebant, persuasi talia promerendæ salutis æternæ proficere, hinc pro animæ redemptione quæ concedebantur ecclesiis pro anima judicari dicebantur. *II. f. 9. 55.* qui animis injectus, inprimis exfigmento purgatorii, metus immensas peperit ecclesiis divitias liberoque bona exemit commercio, ceu infinitæ docent foundationum tabulæ, (d) posteaquam vero, heterodoxia detecta, cum Reip. detrimento, crevisse bona ecclesiastica apparuit, salariis Professorum, Ecclesiæ Ministrorum &c. aliisque necessitatibus & utilitatibus Reip. redditus ecclesiastici & Canonicatus ceperunt applicari, atque Statuum Protestantium Ordinationes hac in parte in *R. J. d. A. 1555. §. 19.* a toto Imperio sunt corroboratæ, nec non in *Instrum. Pac. Osn. & Mon. art. 5. §. 17.* approbatæ sunt foundationes quæ non nisi Nobiles in Capitulum recipi jubent, (e) dudum autem Canonici honorarii per privilegium sunt recepti, qua ratione ipse Imperator est Canonicus Aquisgranensis, (f) nec non seculares Canonici invaluerunt, (g) non solis Clericis strictè sic dictis, quibus prædicatio verbi divini & administratio Sacramentorum incumbit, sed etiam aliis ecclesiæ servientibus.

- conf. c. 1. dist. 21. deberi canonicatus abunde liquet, cum Canonicorum collegium sit Senatus Ecclesie. (h)
- (c) GONZAL. TELLEZ. ad c. 2. X. d. institut. n. 2.
- (d) conf. ZIEGLER. d. dot. Eccl. c. 8. §. 27. verb. mein und meiner Altfahren Seele willen. Fundat. Henr. II. des Hoch = Stiffts Bamberg d. A. 1007. verb. quatenus & ipsi nostri benigne apud Deum memores ac dilectissime Conjugis nostrae atque Consortis Regni, Kunigundis, parentumque nostrorum versa vice beneficiis nostris pia atque assidua intercessione respondeant. LUNIG. Specileg. Eccl. c. 4. n. 2. p. 9.
- (e) vid. CONRING. Animadvers. in Bull. Innoc. X. c. 8. p. 286. seq. DEDEK. Vol. Consil. Theol. & Jurid. De Canonicis. n. 3. p. 1045. seq.
- (f) CAROL. du FRESNE Glossar. verb. Canonici honorarii. p. 756. seq. LIMN. l. 2. c. 7. n. 39. seq. RHET. Inst. Jur. Publ. l. 1. t. 4. §. 58. GONZAL. TELLEZ. ad c. 2. X. d. institut. p. 192.
- (g) CAROL. du FRESNE verb. Canon. seculares. p. 754.
- (h) DUAR. de Sacr. Eccl. minist. l. 7. c. 4. conf. Illustr. V. L. a SECKENDORFF. commentar. de Lutheran. & Reformat. Relig. l. 3. sect. 25. §. 96. in addit. lit. B. p. 397.

OBST. 3. Quod Canonicatus non raro impententur per resignationem in favorem l. gratiam ejus, qui recipiendus est, susceptam, cum consensu Capituli eorumque, ad quos illa res pertinet, ubi pro beneficio resignationis certa fieri solet remuneratio, quam in Simoniae speciem incidere sunt qui existiment provocentque ad c. 8. caus. 1. q. 1. verb. si per pecuniam ordinaverit quemlibet, qui communeratur in Clero, nec non c. si quis dator. 2. caus. 1. q. 3. verb. vel ecclesiastica beneficia, quae quidem praebendas vocant, sub pecuniae interventu susceperit. j. c. 34. X. d. Simon. c. 27. X. cod. (i) Resp. resignatione in favorem certae personae facta beneficium confertur in eam, cui fit resignatio, licet honorario intercedente non sit mere gratuitum. l. 3. f. d. obseq. par. & patr. praest. arbitrium enim Capituli

pinli &c. de resignatione admittenda aut improbanda adhibetur, quod ex personæ studiis, moribus & qualitatibus pendet, proinde in *Ord. Pol. El. Brand. Magd. d. A. 1688. cautum c. 6. §. 26.* Es solle mit denen resignationibus also umgangen werden, daß solche keiner Kauff-Handlung ähnlich, noch die sonst erlaubten *honoraria in pretia degeneriren*, id quod merito diligenter observari, maximaque cura indagari debet, num persona, in prioris locum surroganda, Ecclesiæ ad munera e. g. Confuliariorum, Episcopatus, Confistoriorum &c. exornanda sit æque idonea, & citra nundinationem, quæ quosvis pluris licitatores admittit, incedatur. Interim hujusmodi beneficia non esse dona Spiritus Sancti, sed res in restricto commercio constitutas, honorariumque admittentes. *a. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix. a. l. 39. §. 7. ff. de legat. 1. j. Infr. Pac. Ofn. & Men. art. 5. §. 17. R. J. Aug. d. A. 1555. §. 19.* recte defenditur, quod si enim persona canonicatu haud indigna sit, emittitur jus percipiendi fructus ad dies vitæ, cujus comparatio prohibita non est. *l. 12. §. 2 ff. d. usufr. l. 38. ff. eod. c. 28. 31. de præb. in 6. sicuti nec juris patronatus fundo inhærentis. c. 7. 13. X. d. jur. patron. id quod observantia Capitulorum satis confirmat. (k)*

(i) PHIL. *Uf. Pr. J. l. 4. Eccl. 93. CARPZ. Def. Eccles. l. 2. def. 312.*

(k) FINCKELTHUS. *de Jur. Patron. c. 6. n. 37. BRUNNER. d. collat. honor. c. 4. n. 424. seq. STRUV. S. J. C. Ex. 37. §. 31. ibique MULL. lit. 7. ubi vide verba Lutheri. LINCKER. dec. 341. DEDEKENN. Conf. vom Stande der Thum-Herren. N. 6. seq. p. 1072. seq. & præc.*

CONTROV. II.

Probatio Termino Saxonico adstricta per sententiam in Causis Matrimo-

2
L
rimonialibus, ob earum favorem,
neque currere impeditur neque re-
scissioni, per restitutionem, obno-
xia est.

Terminus Probatorius etiam in Matrimonialibus currit,
(a) & est preceptorius, adeoque hoc neglecto jus pro-
bandi perit. *a. c. 4. X. d. in integr. rest. l. 13. §. 4. ff. d. excusat.*
N. 23. pr. c. 1. nullus enim esset controversiarum de matri-
monio motorum finis, nisi fatalia in iis attenderentur, & jus
contendendi perimerent, quod perpetuum non esse jubet
evitanda licium immortalitas. *l. 13. C. d. judic. j. l. 25. ff. d. stat.*
bon. l. 65. §. 2. ff. ad Sc. Trebell. Itaque frustra laborant li-
tigantes, citra justam restitutionis causam, probandi facul-
tatem sibi in matrimonii causa restitui postulantibus, uti pron.
F. J. L. M. Febr. 717.

(a) Conf. *COVARRUV. de Matrimon. P. 2. §. 12. n. 26. seq. n. 34.*
p. m. 258. & preced. Diss. BRUNN. ad Jus Ecclesiast. l. 3. c. 4. §.
12. j. Dn. BERG. Elect. Proc. matr. §. 40.

OBST. 1. *C. 7. X. d. sent. & re jud.* ex qua probant sententiam
contra matrimonium latam non nancisci vires rei judicate,
quin e. g. error detegi emendarique ac veritas deduci possit;
unde etiam publicatis attestationibus viam novis probationi-
bus aperiunt, *a. c. 26. c. 44. X. d. testib.* (b) colliguntque ab
initio potius litiganti subveniendum, quam, post vulneratam
causam, remedium esse querendum. *l. f. C. ex quib. caus. in*
integr. rest. Verum quod inferunt ex *d. c. 7.* matrimonium,
judice per fallas probationes, vel alias, circumvento, ut con-
junctionem pro licita declararet, cum ista in iacessum juris
divini

divini incideret, ad evitandam, cognito errore, incestus tam foedi perpetrationem, conscientiae personarum conjunctarum consulere animæque periculum declinare posse, sententia, ex tanti ponderis impedimento, correctæ, licet ea pro matrimonio lata sit. (c) Item, quando contra matrimonium est iudicatum & per nullitatem liquidam, vel errorem deprehensum, re integra apparet, ratione matrimonii consummandi, conjugii verum non subesse impedimentum, illiusque intuitu pro veritate res iudicata non agnoscitur, indicio illud est definitivas sententias correctioni esse obnoxias; verum meras interlocutorias, aut super desertione ferendas, & quidem, sufficiente fundamento non deducto, vel declinari vel rei iudicatæ auctoritate exui posse, neutiquam inde consequitur, multoque minus fatale in huiusmodi causis non currere contenditur, ne plane sint inanes decreti agitæque matrimoniales processus, soloque partium arbitrio pro lubitu everti eludique, mininum insigniter, publico cum detrimento, protrahi queant. (d)

(b) BERL. P. 1. Concl. 40. n. 20. ANT. FAB. in C. l. 4. t. 15. d. 5. n. 7.

(c) FELIN. ad c. 7. X. d. re jud. n. 15.

(d) ZIEGLER. ad c. 7. X. d. sent. & re jud. n. 10. p. 367. id. ad Inst. Lanc. l. 3. t. 15. §. 9. verb. Cum de matrimonio. COVARRUV. d. l. n. 35. 36. 37. GAIL. l. 1. O. uz. n. 7. GONZALEZ TELLEZ ad c. 7. X. d. re jud. n. 5. & n. 9. FELIN. ad d. c. 7. n. 7. seq.

OBST. 2. Ord. Proc. Sax. El. t. 18. §. 9. verb. allein wollen wir von solcher prescriptione octiduana causas matrimoniales und criminales eximiret haben, ubi criminalibus negotiis matrimonialia exæquantur, (e) cum illic innocentiae deducendæ studium. a. l. 5. ff. d. pen. hic matrimonii favor prescriptioni excludendæ ansam dederit. a. c. 34. X. d. iurej. Verum in causis quoque criminalibus rei iudicatæ effectum iure civili haud deficere. l. 6. ff. l. 30. C. d. appell. evincit, & quod in iis in Germania (conf. O. C. P. 2. t. 28. §. 5.) defensiones, vice appellatio-

B

num,

num, Processu Inquisitorio adhibito, frequentantur, necessitatem inducit eos, qui jurare jussi sunt, sub pena confessi & convicti, ad juramenti præstationem adigendi; nec defensionum usus, fatali illis præfinito penitus præterlapso, sententiarum executionem remoratur. Interim nuda exemptio a fatali oblationis octiduoano, Jure Sax. introducta, non meretur ad diversum fatale, inprimis cum complectatur privilegium, extendi. *a. l. 14. l. 16. ff. d. legib.*

(e) *CARPZ. Jpr. Conf. l. 2. d. 54. MARTIN. ad O. P. S. t. 18. §. 9. n. 78. seq.*

CONTROV. III.

Proxima Cognata, mulieris in Saxonia defunctæ hæres ab intestato, in locis, ubi gerada non est recepta: e. g. Marchia, Hamburgi, &c. haud removeri potest, jure retorsionis, a jure petendi in Saxonia geradam, tanquam hæreditatis portionem.

Cum Retorsionis Jus in rebus geradicis obtineat ad inducendam juris æqualitatem. *P. 3. Const. El. 38. §. und demnach. it. §. f. a. L. R. l. 1. art. 19.* idque inæqualitatem a Magistratu, contra quem retorsione utendum est, usurpam requirat. *d. C. §. Wann aber. rigoris, quam æquitatis, amantiõres esse videntur qui geradam, ut hæreditatis partem, petenti*

petenti extraneæ eandem denegant, istamque remotiori cognatæ & in subsidium, magistratui tribuunt; siquidem retorcionis iura sunt, quoad fieri potest, restringenda & confirmatam inæqualitatem exposcunt. *l. 1. pr. & §. 2. ff. quod quisque jur. in alt. stat.* quæ in casu præsentis non emergit, quia gerada fœminæ, in Saxonia degenti, denegata non est quæ eidem titulo rei hæreditariæ cessit. Præterea verbis potius, quam rebus, ponerentur leges contra *l. f. C. d. usur. l. 2. C. comm. de leg.* si res titulo hæreditario fœminæ, in Saxonia domicilium habenti, datæ, sub prætextu solo geradæ nominis, in hoc territorio usitati, personæ, illam hæreditario jure postulanti, subducerentur, in quam sententiam resp. *F. J. L. M. Mart. 715. (a)*

- (a) Conf. *ANDR. KNICHEN de Vestitur. Paët. Part. 2. c. 1. n. 168. RAUCHBAR. Part. 2. quæst. illustr. 19. n. 8. seq. BRUNNEM. ad l. 3. ff. quod quisque jur. in alt. stat. n. 8. CARPZ. P. 3. C. 38. d. 6. P. 1. dec. 23. n. 14. seq. id. de jure fem. sing. dec. 6. pos. 10. n. 26. seq. p. m. 554. conf. JOH. VOET. Comm. Pand. t. quod quisque jur. n. 5. Diss. Facult. Jur. Jen. Helm. & Scabin. Hal. apud RICHT. de success. sect. 1. membr. 1. n. 76. seq. p. m. 74. STRUV. de Vind. Priv. c. 11. aph. 33. n. 5. seq. BERL. P. 3. Concl. 51. n. 20.*

OBST. I. Quod deferatur successio secundum jura, quæ sunt in loco domicilii personæ defunctæ. *a. l. 19. §. f. ff. d. jud. l. f. C. ubi in rem act. j. l. 35. §. 3. ff. d. her. inst.* adeoque res geradicæ naturam suam exuere & in hæreditarias converti nequeant, cum illæ singularis sint indolis diversisque deferantur successoribus: alias autem metuendum esset, ne etiam cohæredes masculi, contra juris analogiam, sub nomine hæreditatis, rerum geradicarum portionem pro rata sibi vindicarent, & successione controversa, secundum jura, quæ sunt in loco domicilii hæredis aut cohæredis, decideretur, id quod

2
a Juris ratione alienum est. *Resp.* Quoniam geradica in eo loco, in quo geradae usus exulat, secundum juris communis dispositionem. *v. O. C. P. l. t. 57.* tanquam hereditaria Saxonice Successoribus cedunt praestanturque, licet ipsi in Saxonia neque jus in illa succedendi neque geradicarum rerum portionem petendi facultatem habeant, ad inducendam juris æqualitatem & attendendam æquitatem, quæ in jure maxime observanda est, *l. 90. ff. d. reg. jur.* pertinet ut ea, instar hereditiariorum, extraneis tribuantur, deficiente juris retorsionis fundamento, quod adversus eos Magistratus usurpatur, qui geradica Saxonibus denegarunt, id vero non fecerunt qui eadem ipsis, tanquam hereditaria, reliquerunt, dum, si rigorem exercere voluissent, sub prætextu, quod in Saxonia ista pro geradicis habeantur, difficultatem movere potuissent. *P. 3. C. El. 38. §. und ist demnach.* Quod si autem hac ratione modum succedendi hereditarium, quoad portionem extranei, æqualitatis studium extorqueat, per accidens id contingit, jure permittente, quod etiam successiones, justis intercedentibus causis, immutare consuevit. *a. l. 15. §. f. ff. d. inoff. test. l. 34. C. cod. l. 15. ff. d. legat. præst. l. 10. §. f. ff. d. bon. poss. contra tab. l. 35. ff. d. hered. inst. l. 13. C. cod.*

OBST. 2. Mutatio qualitatis geradicæ in hereditariam, proximæ cognatæ, quæ spem successioneis habet, noxia; cum tamen etiam Jura Retorsionis, ista cum moderatione, Magistratus exercere jubeantur, ut emolumentum cognatæ remotiori, proximiori remota, deferatur. *P. 3. C. El. 38. §. Diereil. verbis: Daß sie denjenigen, welchen sie ohne das nach Erbgangs-Recht gebühret etc. folgen sollen.* *Resp.* Variis casibus: veluti donatione inter vivos, emtione &c. similive via, rem geradicam ad personam, quæ geradam haud relinquit, translata naturam geradæ exuere & in hereditariam converti, cui instituto contradicendi jus cognata non habet, modo actus legitime expediatur. *conf. P. 2. C. El. 13. pr. & S. f. quo-*

quoniam vicissim, gerada, sub titulo hæreditatis, Saxonicae
fœminæ Hamburgi tradita translataque, hujus cognatæ jura
succeedendi, aucta per accessionem geradæ substantia, am-
pliora ac pinguiora fiunt, cognatæ vero in *d. C. injecta* est
mentio, quia cavendum erat ne Magistratus, retorsionis jure
utens, in cognatæ præjudicium, geradam sibi vindicaret. *a. l.*
10. ff. d. jur. fsc. j. D. l. 1. art. 28.

CONTROV. IV.

Domino, cui census debetur, prædio
censuali a censito in alium per ven-
ditionem translato, non competit

JUS ΠΡΟΤΗΜΗΣΕΩΣ.

Quoniam census in recognitionem dominii quondam ac-
cepti solvitur in censu reservato. *a. l. f. C. d. rer. permu-
tat. & census per venditionem annui redditus in emtorem
translatus, atque ita constitutus, approbatusque Cap. 1. 2.
Extravag. comm. d. emt. vend. Policiey Ordn. zu Grandfurth
d. A. 1577. t. 17 §. 9. Und nachdem. censum persolventis ju-
ra adeo haud attenuat, ut domino census jus προτημήσεως, ex
præsumta voluntate partium, quæsitum esse asserere liceat,
cum legis dispositio in prædiis emphyteuticis domino dire-
cto, intra tempus duorum mensium, istud jus indulgens. l. f.
C. d. jur. emph. ad casum, quo de qualitate emphyteuticaria
constat, restringenda sit. *conf. P. 2. C. El. 39. §. dan wan das
Guth. in dubio quælibet res pro libera agnoscat. l. 20. l. 179.
ff. d. R. F. l. 8. l. 9. C. de servit. & alienatio licita esse præsuma-
tur. a. l. 61. ff. d. pact. unusquisque etiam sibi suo arbitrato qua-**

2
L
rere vel probare emptorem possit. l. 14. C. d. contr. emt. prætere-
rea imputari queat contrahenti quod, in dominio transfe-
rendo occupatus, non locutus fuerit apertius & prædium ac-
quirentis consensum in jus προσημύσεως, quod domino com-
petere cupit, impetraverit. a. l. 39. ff. d. pact. siquidem, quæ
adstringendæ obligationi serviunt, nisi palam verbis expri-
mantur, omissa intelliguntur. l. 99. l. 106. ff. d. V. O. venditio-
nem fundi censitici juri προσημύσεως, ratione domini census,
haud esse obnoxiam recte asseritur, in quam sententiam resp.
F. J. L. M. Dec. 1716. (a)

(a) Conf. RAUCHB. quæst. Jur. Civ. & Sax. l. 2. q. 22. seq.
FRANZK. d. laudem. c. 10. n. 63. BERL. P. 2. C. 47. n. 13.
CARPZ. P. 2. C. 31. d. 17. conf. MOLLER. ad Const. El. P. 2. C.
El. 39. n. 1. & 5. Diss. SCHILT. Ex. ad ff. 16. th. 84. & Fac. Jur.
Jen. apud RICHT. dec. 76. n. 61. REINK. d. Retract. consang.
qu. 3. n. 74. seq. conf. Dn. BERG. ad O. P. S. t. 40. §. 9. p.
1323. seq.

OBST. I. Quod veterum Germanorum prædia censitica pro-
pe accedant ad emphyteutica, & censum solventibus restri-
cta de iis disponendi potestas sit indulta. *Id.* l. 1. a. 54. in f. un-
de apud Saxones hodieque secundum O. P. S. t. 46. §. Wan-
aber. §. würde sichs. in omnino validam oppignorationem,
Domini Jurisdictionis & censualis consensus exigitur. *Resp.*
Prædia quidem censitica, in eventum alienationis, Domini
census consensum exposcunt, quatenus resignatio & translatio
dominii. P. 2. C. El. 39. §. dan wan. nec non dicta oppignoratio
cum illius assensu & auctoritate fieri debet, quoniam ipsius
interest fundi possessorem, ob jus exigendi censum, haud igno-
rari sed approbari, prædiumque cum præjudicio illius non di-
vidi aut distrahi, a. l. 7. ff. comm. div. aut ita immutari ut diffi-
cilior reddatur census exactio. d. art. 54. *Id.* l. 1. (b) at inde
non fluit facultas exercendi jus προσημύσεως odiosum, ipsi-
que

que nec consuetudine Germaniæ nec constitutione indultum.
a. l. 14. C. d. contr. emt.

(b) Conf. SCHILT. d. Bon. Laudem. §. 36. Cod. Alem. Feud. p. 642.

OBST. 2. Favorem consolidandi dominium directum cum utili plenamque proprietatem possessoribus tribuendi suadere istud jus *περιουσιώσεως*, illudque ex hoc capite Dominis quoque directis in feudo vindicari *II. f. 9. §. 1.* quandoquidem, divisione ista Domini per consolidationem sublata, plena proprietas domino fendi & census cedit, quo intuitu hic quoque dominus directus in *O. P. S. t. 46. §. wärde sichs.* appellatus esse videtur. *Resp.* non solus consolidationis favor peperit jus *περιουσιώσεως*. a. §. f. d. usufr. l. 1. pr. §. 4. 7. l. 2. ff. d. superf. j. l. 73. §. 1. l. 74. l. 75. ff. d. R. V. (c) sed legum aut consuetudinum specialis dispositio, (d) quæ in domino census deficit, qui per dominum directum est expressus in *d. §. Wörde.* ob jus investiendi, exigendi censum & consensum in alienationem desiderandum, *juxta d. O. P. S. & P. 2. C. El. 39. §. dan wan.* cum ipse domino jurisdictionis opponeretur & cum domino emphyteuseos conjungeretur, improprio, si ad censiticum prædium id referre velis, sensu. *a. l. 67. ff. d. R. J.* siquidem is, qui merus est, dominus census, negatur esse dominus directus in *P. 2. C. El. 39. pr. verbis: aber solches beydes, nemlich directum & utile dominium, hat ein ieglicher schlechter Zinsmann in allen solchen seinen Güthern.*

(c) Conf. COVARRUV. Var. Res. l. 3. c. u. n. 3. 4.

(d) RAUCHB. *quest. Jur. Civ. & Sax. l. 1. q. 43. n. 23.*

CONTROV. V.

Privilegium tacitæ hypothecæ cum
beneficio prælationis creditori in-
dultum

2
dultum est Jure Civili, quoties ad
ædificiorum refectionem pecu-
niam mutuo dedit, quod ad credi-
ta in aliarum rerum reparationem
non est extendendum.

Insignis est Reip. in reficiendis ædificiis cura evitandisque
corum ruinis, ne publicus urbium aspectus deformetur.
l. 7. ff. d. Off. pres. l. 2. C. d. ædif. priv. unde lex duodecim ta-
bularum de tigno alienis ædibus juncto agere non permittit,
ut eximeretur. *l. 1. ff. d. tign. junct. l. 6. ff. ad exhibend.* Edi-
ctoque Vespasiani & Senatusconsulto vetitum est negotian-
di causa ædificia demoliri & marmora detrahi. *d. l. 2. C. ædif.
priv.* nec non ædibus juncta legari prohibitum, tantummo-
do ea in alienas ædes transferri, neque tamen integras ædes
deponi, permissum est. *d. l. 2. l. 41. §. 1. 3. ff. d. legat. 1.* Non
mirum igitur quod conservandus splendor ædificiorum effe-
cit ut jus hypothecæ tacitæ tribueretur creditori, qui pecu-
niam, ob restitutionem ædificii exstruendi, mutuo dedit. *l. 1.
ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. j. l. 24. §. 1. ff. d. reb. aut.
jud. poss.* quod ad alios in cujuscunque rei refectionem cre-
dentes non est extendendum, cum privilegia non sint produ-
cenda ad consequentias. *l. 14. l. 16. ff. d. legib. uti pron. extra
Saxoniam F. F. L. M. Maj. 716. (a)*

a) Conf. STRUV. S. F. C. Ex. 26. tb. 14. ibique MULLER. lit. Z.
LAUTERB. de Tac. pign. tb. 27. VINN. S. Q. l. 2. c. 4. BA-
CHOV. d. pign. l. 4. c. 9. 14. Diss. BERL. P. 1. Concl. 65. n. 132.
COSPAL. ad l. 5. ff. qui pot. in pign. n. 16. AZO. in Summa Cod.
tit. qui pot. in pign. n. 3.

OBST.

OBST. 1. Quod eadem ratio videatur militare in refectione aliarum rerum, maxime vero navium, si ad eas armandas reparandasque credatur. *l. 1. §. 20. ff. d. exerc. act.* aut ad prædiorum culturam promovendam, unde boves aratores & instrumenta aratoria similiaque per executores de possessionibus abstrahi prohibentur. *l. 7. §. 8. Et Auth. Agricultores. C. qua res pign. obl. poss.* & generale fundamentum interpretationis suggerit *l. 6. ff. qui pot. in pign.* dum pecunia in conservationem rei impensa salvam reddit totius pignoris causam, adeoque etiam anteriorum creditorum securitati consulit. *Resp. navigationum favor publicus certa mernit juris beneficia. l. 1. §. 5. l. f. ff. d. exercit. act. l. 1. ff. ad L. Rhod. de jact.* verum non tacitam hypothecam & privilegium prælationis in aliorum præjudicium, cum de isto privilegio leges sileant. *a. N. 18. c. 5.* pariter agriculturæ promovendæ studium limitata peperit jura singularia, quæ ultra intentionem concedentis extendenda non sunt. *a. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ. lex 6.* vero *ff. qui pot. in pign.* non tacitas hypothecas introducit, sed, constituta conventionali hypotheca, quoties legalem lex non indulsit, quænam ratio æquitatis, ob conservationem rerum, creditores tempore priores soletur, cum talis creditor hypothecarius ad privilegium prælationis inter hypothecarios admittitur, ostendit; at, solam prioritatem determinando, ex tituli illius intentione, pignus tacitum haud largitur, cum alias, qui ad rem emendam credidit in eadem conditione esset. *l. 26. ff. d. reb. auct. jud. poss.* quod juris dispositio in *l. 17. C. d. pign. l. 7. C. qui potior. in pign.* non patitur.

OBST. 2. *N. 97. c. 3.* ubi antiquioribus creditoribus hypothecas noviores præponi, ex privilegiis legibus datis, commemoratur, quando quis propriis pecuniis procuravit navem comparari, aut fabricari aut reparari, aut domum forsan ædificari, aut etiam emi agrum aut aliquid horum; adeoque,

C

cum

2
cum constitutæ conventionalis hypothecæ expressa non fiat mentio, omnibus hisce creditoribus indulgeri, per ipsam juris dispositionem, hypothecam ex eo inferitur. *Resp. d. N. c. 3.* non de dando jure hypothecarum agere, sed de ordine inter hypothecarios, sive expressos sive tacitos, observando. Itaque privilegium prælationis non tam ex causa, quam temporis prioritate, æstimari jubet, & hypothecam *d. cap. 3.* neutiquam constituit, verum, conventionem vel lege datam repetit. *j. l. 24. §. 1. l. 26. ff. de reb. auct. jud. poss.*

CONTROV. VI.

Consensus Domini Feudi in illius alienationem validitatem quidem actui alienationis conciliat, sed juri redimendi, quod domino competit, haud præjudicat.

Quoniam Domini directi in feudo quæsitum jus studiumque utile dominium cum directo conjungendi, per consolidationem, ansam dedit, ut Domino potestas concederetur, feudum venditum pro æquali pretio intra annum redimendi *II. f. 9. §. donare. j. l. f. C. d. jur. emphyt.* & renunciationes jurium, quæ sunt instar donationum, strictissimam recipiunt interpretationem, *l. 25. ff. d. probat.* Dominus, in alienationem consentiendo, impedimentum quidem translationis feudi in alium, ex dissensu ipsius metuendum, *II. f. 55.* sustulisse, non tamen facultatem redemptionis, per feudales consue-

consuetudines indultam, abdicasse videtur: nam quoties in remissionibus iurium actus duplicem habere effectum potest, verum de simplici tantum explicationem admittit, in hoc substituisse is, qui beneficium suum dimisit, censetur. *a. l. 21. ff. d. seruit. pr. ed. urban. l. 17. §. 1. ff. d. acquir. vel omitt. her.* unde solum in alienationem consensum redimendi licentiam haud extinguere pronunciauit *F. J. L. M. Nov. 716.* (a) Cæterum *Resolutio Grav. Sax. El. d. An. 1661. rubr. von Just. Sa. Hen gr. 71. §.* weilsn auch. non tantum Jus redimendi, quod Domino directo datum est, inter ipsius reservata retulit, sed etiam aliis illud ab ipso concedi posse declaravit, ea tamen cum moderatione ut non transferatur a Domino directo ista redimendi potestas, nisi causa satis cognita & declinatis abutibus inde metuendis, denegatoque illi, qui huiusmodi beneficium impetravit, cedendi arbitrio.

(a) Conf. *ROSENTHAL. Syn. Feud. c. 9. membr. 2. concl. 91. n. 4.* *CHRISTIN. ad consuet. feud. Vol. 6. dec. 23. n. 6.* *HORN. Jurispr. feud. c. 20. §. 10. & resp. F. J. W. apud eund. Append. 2. n. 17. p. 232. seq.* conf. *HARTMAN. PIST. l. 2. q. 12. n. 56. seq.* *Dist. MATTH. d. AFFLICT. ad text. u. f. 9. §. donare n. 38. verb. sed dubito. p. m. 308.* *SCHRAD. d. feud. P. 8. c. 4. n. 29. seq.* conf. *BIJSCH. ad text. u. f. 26. §. Titius filios. verb. ad priorem. p. 447.*

OBST. I. Quod confirmatio contractus emtionis venditionis, de feudo suscepta, a domino directo facta, illius agnitionem & approbationem contineat, adeoque dominus eum improbare ac, eodem pretio oblato, evertere nequeat. *a. l. 6. ff. d. iuris d. l. 130. ff. d. V. S. f. l. 5. C. d. O. & A. Resp.* Nuda confirmatio actui speciale non conciliat robur. *c. 1. X. de confirm. ut. vel inut.* & quamvis ea qualemcunque virtutem, per

2
2
approbationem contractus, eidem inspiret efficiatque ut dominus directus, se invito alienationem factam esse, conqueri nequeat, veritate negotii haud dissimulata. *II. f. 55. j. cap. 3. X. d. confirm. ut.* nihilominus trahi ista confirmatio ad renunciationem juris redimendi nequit, cum hæc illius sit natura, ut actum ultra intentionem confirmantis haud extendat. *l. 28. §. 5. ff. d. liber. leg.*

OBST. 2. Consensum in alienationem feudi a Domino directo interpositum efficere ut ab ipso domino contractus quodammodo initus esse intelligatur. *l. 8. §. 1. C. d. inoff. don. j. II. f. 39.* verbaque voluntatem domini indicantia, ne sint inania, cum effectu accipi æquitatem & favorem conservandi contractus exigere. *l. 1. §. 1. ff. d. legat. prest. j. c. 6. X. d. fid. instrum. Resp.* Singulare quid complecti *l. 8. §. 1. C. d. inoff. don.* quippe quæ de donatione inter virum & uxorem facta, & ipso jure nulla. *l. 3. §. 10. ff. d. don. inter vir. & uxor.* loquitur; in fraudem vero hujus prohibitionis non licebat alias interponere personas *l. 3. §. f. l. 4. l. 5. ff. eod.* quoniam igitur res, ab uxore in filium translata, ad illam per vetitam donationem mariti transierat, pro re patris & mariti agnoscebatur. *d. l. 8. §. 1.* quod applicari ad præsentem consensum Domini non potest, quippe qui ad validitatem alienationis requiritur, propter illius directum dominium & juris feudalis dispositionem, adeoque necessario, non ut legi prohibitive fraus fiat, adhibetur. *II. f. 55.* verum is ultra illius intentionem, ad excludendum Jus redimendi feudum, extendi non debet. *a. l. 19. ff. d. R. C.*

OBST. 3. Agnatis etiam jus retrahendi sub ista conditione tribui, nisi consenserint in alienationem. *II. f. 26. §. Titius filios.* idemque merito in Domino directo attendi, qui, si redimendi jus exerceret, prædium una manu traditum altera eriperet, adeoque in fraudem legis agere videretur. *a. l. 29. ff. d.*

ff. d. legib. Resp. Domini consensum ad validitatem actus exigi ut evitetur felonia regulariter, *II. f. 55.* agnatorum ad promovendum translationis in feudo antiquo effectum & securitatem desiderari, adeoque generali consensu in alienationem, spacium deliberandi dominum agnatumve, si jure retrahendi intra annum uti velit, sibi non eripere, quod secus est si in specie in venditionem, ratione emtoris, pretii aliarumque circumstantiarum determinatam, intuitu facultatis redimendi & metuendæ hinc reuisionis fendi, consentiat quo *d. §.* respicit: id enim restrictiva remissionum juris interpretatio exposcit. Præterea potuit generaliter & antecedenter alienandi potestatem Vasallo dedisse dominus, nec non suum jus retractus alii cessisse, quibus in casibus neque sibi, neque alii hac in parte præjudicare voluisse præsumitur. *a. l. 4. C. d. emanc. l. 2. §. 10. 16. ff. ne quid in loc. publ. l. 62. ff. d. pact.*

CONTROV. VII.

Fidei commissum in testamento reciproco conjugum, post mutuam substitutionem ipsorum, constitutum, quo, deficiente postremo ex Conjugibus, utrique Familiæ eorum est prospectum de communibus bonis, arbitrio superstitis,

C 3

post

post unius fata, non est revocabile.

Equidem diversissima est conventionum & ultimarum voluntatum indoles, *l. 20. ff. d. V. S.* cum illæ paciscentes ad necessitatem servandi promissa obstringant. *l. 5. C. d. O. & A. l. 17. §. 3. ff. commod. hæc arbitrio disponentium revocari & mutari queant. l. 4. ff. d. adim. vel transf. leg. l. 32. ff. d. donat. mort. caus.* nihilominus, quoniam fideicommissa etiam per modum conventionis constitui placuit. *l. 3. C. d. donat. quæ sub mod. l. 77. §. 12. ff. d. legat. 2. & de bonis alterius, ipso consentiente, legari. l. 10. §. 11. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. inter conjuges quoque testamento reciproco utriusque conjugis Familiæ fideicommissis consuli visum. fac. l. 19. C. de pact.* quia mutuam de bonis conjugum ipsi inter se, communi consensu, usurpant disponendi licentiam, ex qua patrimonium uxoris & mariti fideicommissariam qualitatem induit, & cum ea ad illos, quibus relictum est, transit. *l. 3. §. 3. C. comm. de legat. N. 39. c. 1.* fidemque datam servari, ac finem intentum, benignitate deliberata & conventa, attingi fas est, dum uterque libertatem suam testandi circumscripsit, mortuo ex conjugibus uno, in fraudem alterius, superstici a voluntate, semel legitime declarata, recedere non licebit, ne intentio, per fideicommissum utrique familiæ prospiciendi, eludatur, ipsa hac dispositione, unum quasi commune patrimonium respiciente, actum individuum quodammodo pariente. *a. l. 11. C. d. fideicommiss. l. 12. C. de. inoff. test. j. l. 75. ff. d. R. J. in quam sententiam resp. F. J. L. M. Mart. 717.*

Conf.

Conf. NICOL. Resol. 10. PETR. PECK. d. testam. conjug. l. 1. c. 43.
n. 4. BERL. dec. 92. n. 6. seq. CARPZ. P. 3. C. 2. d. 13. n. 7. seq.
COVARRUV. d. testam. rubr. 2. n. 21. seq. Diff. ANT. FAB. in
C. l. 6. t. 5. d. 18. MINSING. Cent. 1. Obsf. 8. conf. MOLLER.
Semestr. l. 4. C. 22.

OBST. 1. Quod libertas testandi pacto nequeat adimi. l. 15.
C. d. pact. & nemo eam sibi legem dicere possit ut a priori su-
prema voluntate recedere non liceat. l. 22. ff. d. legat. 3. adeo-
que inter conjuges etiam testamentum reciprocum revoca-
tionem liberrimam merito haud impediat. Resp. Quoties
in mera dispositione testamentaria inter conjuges substituitur,
mutandi potestatem haud impediri. l. 78. §. 7. ff. ad Sc. Treb.
at, si maritus & uxor sibi invicem de bonis utriusque dispo-
nendi jus largiantur & suis familiis per fideicommissa prospici-
ant, mutatur natura negotii, & pactitium esse incipit, maxi-
meque cum conjuges hereditatem Pactis dotalibus sibi aliis-
que, usu Germaniae, valide relinquere & efficaciter familiis
consulere possint, uti resp. F. J. L. M. Aug. 708. (a) conf. Nov.
Leon. 19. & testandi libertas etiam indirecte Jure Civili adimi
queat. e. g. per arrogationem, item ingressum monasterii.
Auth. ingressi. C. de Sacrosf. Eccl.

(a) RICHT. dec. 26. n. 44. seq. SAND. l. 2. t. 2. d. 7. MINSING.
cent. 2. obsf. 33. MULLER. ad Struv. S. J. C. Ex. 30. th.
19. lit. d.

OBST. 2. Captatoriam esse heredis institutionem mutuum
Conjugum, item familiarum ab utroque latere junctarum,
cum nequidem heredis institutionem conferre liceat in con-
ditionem certam personam respicientem: veluti Titius, si
Maximium, tabulis testamenti sui, heredem a se scriptum
ostenderit probaveritque, haeres esto. l. 71. §. 1. ff. de hered.
inst. Resp. Conditionem captatoriam, quae respiciat se-
cretum

cretum alienæ voluntatis, improbari, verum non eam, qua
mutuis affectionibus iudicia provocantur. *L. 70. ff. de her.
inst.* quod in præfenti casu accidit, ubi benignitas unius in
conjugem illiusque familiam alterum ad parem liberalita-
tem impellit.

OBST. 3. Testamentum mariti illius & uxoris testantium
morte confirmari, adeoque perseverare duplicis testamenti
indolem & cognatis mariti atque uxoris, post singulorum
fata, jus succedendi deferri. *a. l. 32. §. 3. ff. d. donat. int.
vir. & ux.* Resp. In substitutione pupillari etiam duo quo-
dammodo deprehendi testamenta, alterum patris, alterum
filii, verum illud quoque unum appellatur testamentum
duarum causarum i. e. duarum hæreditatum. *§. 2. ff. d. pu-
pill. subst. j. §. 5. ff. eod. l. 20 ff. d. vulg. & pup. subst.* recipro-
cum igitur testamentum huiusmodi pariter duas deferre
hæreditates, sed, ob servandam mutuz conventionis fidem,
illud unum & individuum esse, ut, utriusque conjugis con-
sensu factum, contraria utriusque, non unius, voluntate,
dissolvatur. *l. 35. ff. d. R. J.* jus vero petendi ex eo relictam
hæreditatem ab arbitrio disponentium pendere, qui, inter-
dum ad unius tantum interdum ad utriusque mortem, dif-
ferri facultatem exigendi voluerunt.

CONTROV. VIII.

Alimenta privignis a vitrico præstita
in dubio repetendi, non donan-
di, animo data esse præsumun-
tur.

Quam-

Quamvis Parentes alimenta liberis pietate coacti submini-
strasse censeantur, quoties ex protestatione eorum. *a. l.*
14. §. 7. ff. d. religios. aut conjecturis urgentibus contrarium
haud colligi potest. *l. 34. ff. l. 11. C. d. neg. gest.* non tamen
tam late patet hæc præsumtio ut tuto & generaliter ad vitri-
cos applicari queat, (a) quippe qui, in universum, pro se
singularis hujus amoris opinionem in jure militantem haud
inveniunt, & mutationi affectus materni nonnunquam an-
sam præbent. *l. 22. C. d. admin. tut. l. 1. C. ubi pupill. educ. &*
facultatibus privignorum insidiantur. d. l. 22. l. 3. C. d. furt.
quas boni cordatique amoliuntur suspiciones ipsa sinceri
amoris præstatione, digni propterea judicati qui ad privi-
gnorum tutelam admittantur *l. f. C. d. Contrar. jud. &*, vio-
lentis circumstantiis eam intentionem evincuntibus, do-
nandi animo privignos aluisse existimantur. *l. 15. C. d. ne-*
got. gest. atque in eam sententiam pron. *F. J. L. Mens.*
Jul. 1717.

- (a) Diss. *BACHOV. ad Treutl. V. 1. Disp. 10. th. 3. lit. c. verb. si*
vitricus. CYNUS ad l. 15. C. d. negot. gest. BARTOL. ad
d. l. BALD. ad eand. Conf. JOH. VOET. Comment.
ad ff. lib. 25. t. 3. §. 9. STRUV. S. J. C. Ex. 7. th. 54. FIN-
CKELT. Observ. Pract. 10. CARPZOV. P. 2. Const.
El. 10. d. 25. BRUNNEMANN. ad l. 15. C. d. negot. gest.
n. 2. seq. COLER. de aliment. l. 1. c. 4. n. 24.

OBST. 1. *L. 15. C. d. negot. gest.* ubi Imp. Gordianus rescri-
psit: Si paterno affectu privignas tuas aluisti, ejus eroga-
tionis tibi nulla repetitio est. Quæ verba non limitatio-
nem, sed explicationem, complecti putat Bachovius, eo
quod in vitrico paternus debeat esse affectus, ex quo

D

cessat

cessat alimentorum repetitio. *a. l. 34. ff. l. u. C. d. negot. gest.* Sed potest non simulatus & integritatis plenissimus esse vitrici in bene educando privigno amor, qui ad animum donandi alimenta haud porrigatur, sive privignus ex suis facultatibus ali queat, sive ex maternis divitiis sublevandus sit, sive avita ipsum benignitas alimentis instruat aut alix circumstantix intercedant, ob quas in patris locum, quoad alendi onus, non ilico se surrogasse videtur vitricus, siquidem nemo suum patrimonium facile jactare præsumitur. *l. 25. ff. d. probat.* cum ipsum neque generatio ad sustentationem obliget, neque ex conjugali amore erga matrem tanta fluat, quantam ne ipsa quidem huic imponere velit, obligatio. Potius *d. l. 15. conscientiam* vitrici excitat, ne, si paterno donandi affectu alimenta semel præstiterit, repetendi intentionem se habuisse prætendat; siquidem remittentibus actiones ad eas non datur regressus. *l. 14. §. 9. ff. de adil. edict.*

OBST. 2. Quod vitricus parentis, privigna filix loco fit. *l. 53. ff. d. R. N. j. §. 6. J. d. nupt. l. 14. §. f. ff. d. R. N. Resp.* In contrahendis nuptiis id, quod honestum est & pudorem non violat, respici, contra pudorem autem esse filiam uxorem ducere. *l. 14. §. 2. l. 42. ff. d. R. N.* verum alimentorum præstationem non tam ab affinitate, intuitu ejus nulla est successio. *l. 7. C. Comm. d. success.* quam a sanguinis vinculo, quod in hoc casu deficit, inprimis dependere. *l. 5. §. 1. seq. ff. d. agnosc. vel al. lib. j. N. l. c. 2.*

OBST. 3. Matri potestatem dari repetendi dotem ut suos, adeoque etiam liberos, alat, *l. 73. §. 1. ff. d. jur. dot.* itaque dote fruente matrum hoc onus merito etiam agnosce-
re. l. 9. C. d. R. V. l. 29. C. d. jur. dot. l. 30. C. cod. j. l. 13. ff. d. imp.

imp. in res dot. fact. Resp. Hoc ipsum haud obscuro esse indicio ad matrem potius, quam privignum, pertinere alendi necessitatem praesumtamque voluntatem, cum, adoptione privigni admissa. *l. 32. §. 1. ff. d. adopt.* ad eum demum alimentorum praestatio transeat, *a. l. 45. ff. eod.*

OBST. 4. Operis filiae vitricum uti atque inde alimentorum impendia compensari, *a. l. 18. §. 2. ff. commodat. j. l. 48. ff. d. Oper. lib.* Resp. distinguendo inter operas officiales & serviles ancillaresve, quibus victum quis mereri solet, has, non illas, cum alimentis compensari posse, pietatem enim liberi parentibus, non operas hujusmodi debent. *l. 10. ff. d. obseq. patr. & par. praest. j. MEV. P. 4. d. 319.*

CONTROV. IX.

Matre legitimam a genero suo, hærede mobiliari, petente, post mortem filiae, fieri potest geradae maternae in legitimam imputatio.

EQuidem *P. 3. Const. El. II.* filias obstringit ad geradam in legitimam matris imputandam, quoniam ea, quae ex statuto, aut aliàs, ex bonis Parentum consecuta sunt, in legitimam imputari jubentur, tanquam ex substantia defunctae

profecta. l. 30. §. f. l. 35. §. 2. l. 36. C. d. inoff. testam. at pro ista
substantia agnosci potest etiam gerada, cum illa mulieri ju-
re proprio competat. conf. O. P. S. 1. 43. §. und weil. illiusque
arbitrio oneroso ac lucrativo titulo inter vivos transferri
queat. P. 2. C. El. 14. idemque ad matrem, filia legitimam a ge-
nero petentem, merito applicatur; siquidem denegata filia
testamento, aliave ultima voluntate, geradam relinquendi fa-
cultas in d. C. 14. non magis geradae imputationem in legiti-
mam remoratur quam dotis aut donationis propter nuptias,
in quibus pariter restricta competit alienandi disponendique
licentia. l. 9. C. d. R. V. l. 29. l. 30. C. d. jur. dot. j. N. 61. c. 1. §. 1.
Itaque, quia in legitima matris & filia eadem, imo in illa for-
tior obtinet ratio. a. l. 32. C. d. inoff. test. æqualis quoque locum
inveniet juris dispositio. a. l. 32. ff. ad L. Aquil. l. 47. ff. solut.
matr. j. l. 7. §. 1. ff. Si tab. test. null. extab. l. 15. ff. d. inoff. test.
II. f. 24. §. 2. verb. sed quia. ceu resp. F. J. L. M. Jun. 1717.

(a) Diff. Dn. Scab. Lips. apud Conf. CARPZOV. P. 3. C.
n. d. 8. Conf. id. de Jur. fam. sing. dec. 6. pos. 5. n. 15. seq.
MOLLER. ad d. Conf. n. 18. BERL. P. 3. Concl. 17. n. 15.
COLER. dec. 286. n. 22. inf. RAUCHB. Part. 2. q.
17. n. 36.

OBST. I. P. 3. C. El. n. complecti jus singulare, quod strictis-
simam interpretationem recipit. l. 14. l. 16. ff. d. legib. favo-
remque Patris, cui eximius debetur honos pietasque. l. 7.
C. d. curat. fur. l. 4. ff. cod. respicit, adeoque ad gene-
rum, qui in subsidium saltem familiae portio esse cense-
tur. l. 5. C. d. V. & R. S. applicari non posse; præcipue
quia gerada, Jure Saxonico inventa, juxta illius normam
defertur & substantia defunctæ pars dici non posse vide-
tur.

tur. *l. N. l. i. a. 24. Resp.* Largimur quidem in Saxonia tam Heergewedam quam geradam a bonis hæreditariis separari. *d. art. 24.* quoad succedendi jus, non autem ratione facultatis in legitimam imputandi, siquidem utramque defuncti jure proprio habuerunt, eademque imputationem in legitimam non excludit *a. l. 30. §. f. d. inoff. test.* & ad substantiam defuncti, licet non hæreditariam, referri potest. *l. 36. C. eod. (b)*

(b) *CARPZ. P. 3. C. u. d. 9.*

OBST. 2. Quod collationis instar fit in legitimam facta imputatio geradæ, ratione adscendentium vero collatio cesset, lege istam collationem haud imperante. *l. 19. C. d. collat. j. N. 18. c. 6. Resp.* Si exæquare collationem & imputationem in legitimam hac in parte velis, haud deficere legem specialem, nempe *P. 3. C. El. u.* imputationem istam injungentem, propter eandem, imo, in matre, quam in filia, fortioerem, quæ intercedit, rationem, præterea a necessitate conferendi cessante ad imputationem hanc negandam non valere consequentiam; siquidem faciliores quandoque sunt leges in imputatione hac, quam collatione, imperanda: nam ex ultima voluntate parentum liberis acquisita legata, fideicommissa, mortis causa donationes non conferuntur. *l. 6. l. 10. l. 13. C. d. collat. j. l. 32. ff. d. donat. mort. caus.* in legitimam tamen imputantur. *l. 36. C. d. inoff. test.* sicuti, e converso, quæ imputantur in legitimam ex hoc solo capite non fiunt collationi obnoxia, quando deficit lex collationis onus imponens. *l. 20. C. d. collat.* Ita donationes parentum simplices, & non ob causam specialem susceptæ, inter vivos in legitimam imputantur, at conferendæ in parentum hæreditatem non sunt. *a. l. 18. C. fam. hercisc. l. 20. §. 1. C. d. collat. l. 2. C. d. inoffic. donat.*

CONTROV. X.

In successione fratrum consanguineorum & uterinorum Jure Civili diversitas bonorum a patre & matre profectorum non attenditur.

Presumuntur homines singulari affectu ferri in sanguine sibi junctos, simulque ad eos, a quibus bona ad ipsos devoluta sunt illorumque propinquos respicere; unde fluxit regula, qua paterna paternis materna maternis acquirantur. *a. l. 13. §. 2. C. d. legit. hær. l. f. §. 2. C. eod.* sed eam sustulit Justinianus in *N. 118. proœm.* contestatus non juste differentiam ab intestato successione inter cognatos ex masculis & feminis introductam esse, seque necessarium esse perspexisse ut omnes simul ab intestato cognationum successiones disponerentur, & prioribus legibus pro hac causa positis vacantibus, ea sola, quæ in *d. N.* constituta sunt, servarentur, posteaque in *cap. 3. verb. His autem.* generaliter definivit quod, germanis fratribus deficientibus, illi fratres ad hæreditatem vocentur, qui ex uno parente conjuncti sunt defuncto, sive per patrem solum sive per matrem. Ubi nullius meminit maternorum paternorumque bonorum diversitatis, quo ipso difficultatibus, ex acquisitione facultatum paternæ aut maternæ lineæ descendentes, viam obstruxit: nam hæreditas defuncti, postea-


posteaquam paterna & materna bona conjungi cœperunt, una est, respectumque ad diversam originem acquisitionis merito excludit. *a. l. 10. §. 2. ff. d. vulg. & pup. subst.* (a) Atque sic pron. *F. J. L. M. Mart. 702. resp. M. Febr. 714. Jul. 1717.*

(a) Conf. *ANT. FAB. in C. l. 6. t. 31. d. 2. HUBER. in Prælect. ad Inst. l. 3. d. succ. ab intest. collater. pos. 13. ibique. Dn. THOMAS. VINN. S. Q. l. 2. c. 31. FA- CHIN. Contr. l. 6. c. 5. BACHOV. ad Treutl. V. 2. D. 16. th. 4. lit. C. verb. sive. GOSW. ab ESBACH. ad Carpz. P. 3. C. 14. d. 1. in f. Diss. CUFAC. ad N. 84. STRUV. S. J. C. Ex. 38. th. 35. ibique MULLER. lit. β. BART. ad Auth. Itaque. C. Comm. de success. n. 1. seq. FOERSTER. de Success. l. 8. c. 8. n. 2. seq. conf. SAND. l. 4. t. 8. d. 1.*

OBST. 1. *L. 13. §. 2. C. d. legit. her. ubi fratribus & fororibus, relicta a defuncto, domini jure tribuuntur, excipiunturque maternæ res, in quibus, si ex eadem matre fratres vel sorores sint, eos solos vocari debere disponitur. Resp. In universum regulam supradictam ex b. l. non probari, cum, uterinis deficientibus, ad similitudinem aliarum rerum, in totam fraternitatem dominium cedere dicatur, adeoque materna ad consanguineos omnino transferantur.*

OBST. 2. *N. 84. pr. c. 1. 2. illic enim bonorum diversitas inter uterinos & consanguineos fratres haud obscure stabilitur, eaque secundum leges priores observari jubetur; præterea leges correctoriæ sunt strictissimæ interpretationis. l. 27. C. d. testam. adeoque Nov. us. c. 3. uterinos & consan-*

2
consanguineos quoad ordinem successione, non ob-
jectum, bona scilicet paterna & materna, exæquasse vide-
tur. *Resp.* Enixam voluntatem suam declaravit Justi-
nianus, dum, ratione agnatorum & cognatorum, se diffe-
rentiam inter eos aboliturum. *d. N. proem.* & ea sola, quæ
in *d. N.* constituit, auctoritate juris gavifura esse, indica-
vit, adeoque in successione hæreditaria exæquari uterini &
consanguinei bona defuncti, sive a patre sive a matre
profecta sive aliunde quæsitæ, æqualiter consequentur,
cum in distinctione bonorum præcipua fuerit deprehen-
sa diversitas, & in discernenda patrimonii acquisitione dif-
ficultas. *fac. l. 10. §. 2. ff. d. vulg. & pup. subst.*




ULB Halle

005 362 326

3







12231.
Ju

N 48

14.

Q. D. B. V.

JURIS
CONTROVERSI
THEORETICO-PRACTICI
DECAS IX.

1718,6

QUAM

SUB PRÆSIDIO

DN. LÜDERI MENCKENII, JC.
CONSILIAR. REG. POLON. ET
ELECT. SAXON. DECRETALIUM PROF.
PUBL. ET FACULTATIS JURIDICÆ LI-
PSIENSIS ORDINARIJ, &c.

PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS SUI
SUBMISSO HONORIS CULTU ÆTATEM
DEVENERANDI

IN

AUDITORIO JCTORUM
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

M. ANTONIUS AUGUSTUS HEYLAND,
LIPS.

AD D. XXXI. MART. AN. MDCCXVIII.

LIPSIÆ,
LITTERIS IMMANUELIS TITIL

R. B. J. Hoff.